

gnis montibus circumdata, dum sacerdotes nocturnas preces facerent, pervenit: vocatisque qui portas aperirent, esse se reipublicæ Florentinæ milites, qui ad imperatorem mitterentur; patefactis portis fano capto, & quoniam arcis vicem turri præalta parietibusque solidis præbebat, præsidio in eo collocato, ac reſectis cibo potuque militibus, Bibienam oppidum eadem uſus celeritate contendit: præmiſſisque paucis equitibus Leonis nomen antiqua eorum appellatione conclamantibus (ea eſt enim ſignificatio Florentinæ civitatis, quæ voce accipitur, & redditur) magiſtratum itemque arcis præfectum ad ſpeciem imperatoris juffu ad ſe vocatos retinuit, oppidumque cepit: ſtatimque ad Marcellum, qui rem ei nunciarent, atque ut ociſſime cum reliquo exercitu ſubſequi contenderet, hortarentur, miſit. Legatus Carolum Urſinum & Baliones, qui ad eum aliquando tandem venerant, auxilio ad Livianum juffit præcurrere. Ille interim aliud ad caſtellum proſectus, eo capto, Popium venit celebre municipium, & ſibi jam exemplo Bibienenſium cavens: quod quidem ad municipium, inſidiis cognitis, Florentini milites ducentos cum legato & ſtipendio miſerant: ſed eos Livianus ex itinere congreſſus fudit interfectis captisque compluribus: parumque abſuit, quin legatus caperetur, ſtipendiumque interciperetur. Popio deinde per imperatorem Paulum militibus ſexcentis intromiſſis confirmato, Carolus Balionesque adveniunt.

Guidus Ubaldus reſenſo exercitu, in quo erat Hannibal Bentivolus a Senatu in reipublicæ militiam ſeparatim antea ſublectus, itineri ſe dedit. Livianus auxilio ſubmiſſo caſtella hoſtium quatuor, quorum in uno erant milites ducenti, Popio circumfuſa vi cepit. Venerat autem Popium cum militibus ducentis, etiam Populoniam obtinens. Guidus Ubaldus eo in itinere tardior, quam cogitaverat, fuit, propterea quod milites ad duo millia ſingillatim fugientes eum reliquerant, Hannibale furtim, ut id facerent, per ſuos cohortante, ſub non dati in tempore ſtipendii querela. ejus enim fugæ initium ab iis  
qui